BIBLIA LATINA

Klosterneuburg, um 1310/1315 — Seite 278v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376

Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ipsorum perseverat bona hereditas. et nepo
tum ipsorum semen in testamentis stetit.
et in promissione eorum manserunt. et filii
eorum ipsorum hereditas illorum. propter illos usque
in eternum manet. Semen eorum et gloria
eorum non derelinquetur. corpora ipsorum in pa
ce sepulta sunt. et nomina eorum vi
vent in generationes et generationes. Sapientiam
ipsorum narrant populi. et laudem eorum nun
ciat ecclesia. Enoch placuit deo et
translatus est in paradysum. ut det
gentibus penitentiam. Noe perfectus inventus
est iustus. et in tempore iracundie factus est re
conciliatio. Ideo dimissum est reliquum
terre. cum factum est diluvium. Testamenta
seculi posita sunt apud illum. ne deleri
possit diluvio omnis caro. Abraham
magnus pater multitudinis gentium.
et non est inventus similis illi in gloria.
qui conservavit legem excelsi. et fuit
in testamento cum illo. in carne eius
fecit stare testamentum. et in tempta
tione inventus est fidelis. Ideo iure
iurando dedit illi gloriam in gente
sua. crescere illum quasi terre cumulum. et ut
stellas exaltare semen eius. et heredi
tare illos a mari usque ad mare. et a
flumine usque ad terminos terre. et in y
saac eodem fecit modo propter abraham
patrem ipsius. Benedictionem omnium
gentium dedit illi. et testamentum
suum confirmavit super caput iacob.
Cognovit eum in benedictionibus su
is. et dedit illi hereditatem. et divi
sit ei partem in tribubus xii. et conserva
vit illi homines misericordie invenientes
gratiam in oculis omnis carnis.

XLV.

Dilectus deo et
hominibus moyses. cuius
memoria in benedictione
est. Similem illum fecit in gloria
sanctorum. et magnificavit eum in timore
inimicorum. et in verbis suis monstra
placavit. Glorificavit illum in con
spectu regum. et iussit illi coram populo
suo. et ostendit illi gloriam suam. In
fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum.
et elegit illum de omni carne. Audivit
enim eum et vocem ipsius. et induxit illum
in nube. et dedit illi cor ad precepta. et legem
vite et discipline. docere iacob testa
mentum. et iudicia sua israel. Et excel
sum fecit aaron fratrem suum. et simi
lem sibi de tribu levi. Statuit ei testa
mentum eternum. et dedit illi sacerdoti
um gentis. et beatificavit illum in gloria.
et circumcinxit eum zona iustitie.
et induit illum stola glorie. et coro
navit illum vasis virtutis. circum
pedes. et femoralia. et humerale posu
it ei. et circumcinxit illum tintinna
bulis aureis plurimis in gyro. da
re sonum in incessu suo. auditum face
re sonitum in templo in memoriam
filiis gentis sue. Stolam sanctam auro
et iacincto et purpura. opus textile.
viri sapientis iudicio et veritate predi
ti. torto cocco opus artificis. gemmis
preciosis figuratis. in alligatura auri. et
opere lapidarii sculptis in memoriam
secundum numerum tribuum israel. Corona aure
a super mitram eius. expressa signo
sanctitatis. et gloria honoris et opus vir
tutis. desiderio oculorum ornata. Sic
pulchra ante ipsum non fuerunt talia
usque ad orientem. Non est indutus
illa alienigena aliquis. sed tantum filii
ipsius soli. et nepotes eius. per omne
tempore sacrificia ipsius consummata sunt
igni cottidie. Complevit moyses manus
eius. et unxit illum oleo sancto. Factum est
illi in testamentum eternum. et semini
eius sicut dies celi. Fungi sacerdotio
et habere laudem. et glorificare populum su
um in nomine suo. Ipsum elegit ab omni
vivente offerre sacrificium deo. incen
sum et bonum odorem in memoriam
placare pro populo suo. et dedit illi in pre
ceptis suis potestatem in testamentis
iudiciorum. docere iacob testimonia.